

pendet a natura, et forma, sine limitatione autem, et specificatione determinata non potest determinate existere in rerum natura. Ad id, quod dicitur, existentiam pertinere ad statum, et modum, jam supra diximus non pertinere ad statum modificantem realitatem, sed constituentem realitatem in esse, et primo ac per se distinguentem illam ab eo, quod est nihil, et intra causas, et sic potius præbet realitatem primam, quam realitatis modum.

ARTICULUS IV.

An existentia sit unica, et indivisibilis in toto, et perfectior ipsa natura?

Affines sunt istæ duæ difficultates, et inter se connexæ, an existentia indivisibiliter conveniat toti, et an sit actus ipsius suppositi, et mediante illo conveniat naturæ: indeque patebit via ad resolvendum, an existentia sit perfectior in ratione actualitatis, quam essentia?

EXISTENTIA EST INDIVISIBILIS.

I. Eadem fere ratione procedendum est in hac parte, qua supra tractando de subsistentia. Sensus enim est, quod existentia conveniens composito habenti partes non conflatur ex partialibus existentibus sed ipsa unica existens immediate convenit composito, et mediante eo partibus, ex quibus conflatur. Sumitur ex div. Thoma 1-2, quæst. iv, art. v ad ii, ubi inquit: « Quod esse totius non est alicujus suarum partium, unde vel pars omnino desinit destructo toto, vel si remanet, habet aliud esse in actu, sicut pars lineæ habet aliud, quam tota linea, sed animæ humanæ remanet esse compositi post corporis destructionem,

et hoc ideo, quia idem est esse formæ, et materiæ, et hoc idem est esse compositi. » Idem docet in locis in quibus affirmat per partes advenientes non advenire novum esse, sed esse totius eis communicari, ut in iii p. quæst. xvii, ar. ii et in ii, dist. i, quæst. ii, art. iv ad ii.

II. Hoc autem dupliciter potest intelligi. Uno modo, quod existentia unica sufficiat pro toto composito, sicut una forma substantialis sufficit pro toto composito, et ejus partibus, licet forma illa per accidens reddatur divisibilis informando partes totius, non tamen per hoc, quod in diversis partibus sint diversæ formæ, ex quibus componatur forma totius, nisi solum per accidens, et eo modo quo formæ convenit habere partes. Alio modo potest intelligi, quod existentia sit unica in composito, et indivisibilis in informando, quia non æque respicit totum, et partes, sed unitatem totius immediate respicit, partes vero non absolute ut partes sunt, sed ut requiruntur ad unitatem totius. Et talis forma licet rei divisibili communicetur, scilicet ipsi composito, et ejus partibus, non tamen est divisibilis formaliter, sed virtualiter, quia communicatur composito sub ratione indivisibili scilicet sub ratione ultimi termini, et unitatis totius, licet rei divisibili communicetur. Et hac ratione in libris de anima, q. ii, art. i, distinximus in formis viventium quasdam esse divisibiles, quasdam indivisibiles solum ex diverso modo, et ratione informandi, licet enim utraque forma tam divisibilis, quam indivisibilis communicetur partibus divisibilibus, tamen quædam formæ communicantur per informationem divisibilem, quæ tunc accedit quando æquo modo respicit partes, ac totum, sicut in homogeneis. Aliquando vero forma indivisibili modo informat licet omnes par-

tes attingat, et eis participetur, quia videlicet sub ratione indivisibili respicit plures partes, quatenus vel plures partes requirit per modum unius dispositionis sicut forma viventis, quæ respicit corpus, ut organicum ad hoc ut informet illud, vel quia respicit per modum ultimi termini omnes partes, ratio autem ultimi, indivisibilis est licet dicatur virtualiter divisibilis, quia sub illa ratione indivisibili communicatur partibus, non tamen est formaliter divisibilis, quia non componitur, et conflatur ex multis partibus, sicut terminus lineæ terminat omnes partes lineæ, et forma ignis requirit octo gradus caloris pro dispositione, nec tamen in quatuor gradibus media forma invenitur.

III. Quare dicendum est, quod existentia in rebus compositis, et unica est, et indivisibilis eo modo quo formæ indivisibiles dicuntur ex modo indivisibili informandi, licet virtualiter divisibilis sit, quatenus reddendo compositum existens omnes partes ex quibus constituitur actualat, et attingit. Et ratio est eadem qua supra articulo secundo probavimus subsistentiam esse unicam in toto composito, et non conflari, neque componi ex partialibus subsistentiis, et infra probavimus existentiam esse proprium actum suppositi, et non dari partiales existentias ex quibus conflatur existentia totius. Hoc autem non est difficile intelligere supposito, eo quod jam probavimus articulo præcedenti quod existentia non identificatur cum entitate, sed supervenit entitati constitutæ ponendo illam extra causas, et consequenter se habet tamquam terminus ultimus, et totalis ipsius actualitatis totius, quia illud ultimate ponit extra causas. Itaque, quod existentia sit unica in toto composito in eo fundatur, quia partes, ut partes sunt non existunt existentia

partiali, sed existentia totius, quia nulla productio sistit in partibus, ut partes sunt, sed in aliquo toto, sive perfecto, sive imperfecto. Quod patet manifeste, quia partes, ut partes sunt non producuntur, nisi ut tendunt ad totum, ipsumque perficiunt, hoc enim est habere se ut partes, non sistere in se, sed in toto, ergo implicat productionem aliquam respicere partem, ut partem, et ibi sistere. Quod si non producantur partes in aliquo toto, sed separatim ab illo, hoc ipso per separationem desinunt esse partes, et fit totum, ergo nulla productio terminatur in facto esse, nisi in aliquo toto, licet contingat produci diversas res totales, ex quibus rursus aliud totum constituitur, et respectu illius ultimi totius, priores productiones partiales vocantur: re tamen vero quando fiunt, totales sunt in suo ordine. Existentia autem non sequitur productionem, nisi in facto esse, si quidem ejus effectus formalis est constituere rem extra causas in facto esse; ergo ibi solum datur existentia ubi sistit productio in facto esse; sistit autem in aliquo toto, et non in partibus, ut partes sunt; ergo non dantur partiales existentia, nec multiplicantur juxta multiplicationem partium, sed in quolibet toto sufficit unica existentia pro ipso, et partibus ejus, ut statim infra magis explicabitur.

IV. Quod vero sit indivisibilis in ipso modo informandi, ex hoc ipso deducitur, quia existentia non ex æquo respicit partes, ac totum, sed immediate, et per se ipsum totum per modum unius integri producti, quod in facto esse ponitur extra causas, partes autem ponit extra causas in quantum continentur in ipso toto, et in quantum pertinent ad ejus unitatem, et communicationem, quia ut dictum est existentia non identificatur cum ipsa entitate

partium, vel totius, sed tamquam distincta actualitas supervenit essentiae ex participatione agentis ponentis rem ultimate in facto esse extra causas, ergo supponit rem constitutam secundum suas partes, ex quibus essentia ejus construitur, ergo non respicit partes æque primo, atque ipsum totum, sed respicit totum, ut constitutum, eique supervenit, et sic ejus actuatio sub ratione indivisibili, id est, sub ratione ultimi fertur ad totum, et solum virtualiter dicitur divisibilis, quatenus communicando se toti etiam ipsis partibus, quæ componunt totum participative, seu mediate communicatur. Et sic oportet bene discernere inter formas prius convenientes partibus, et mediantibus eis toti, aut e converso primo, et per se, convenientes toti, et per totum partibus, nam primæ formaliter dicuntur divisibiles, quia conflantur ex partibus: secundæ vero solum virtualiter sunt divisibiles, informatio vero earum fit modo indivisibili, quia respicit ipsum totum sub ratione totius, et ultimi, et sic ad sui participationem trahit partes. Et hoc modo se habet existentia in ratione actualitatis etiam in rebus compositis, ut probatum est, nam in spiritualibus, nec virtualiter partes habet, quia ipsum totum non constat ex partibus, neque illis communicatur. Itaque informatio, seu actuatio existentiae est indivisibilis, quia primo, et per se respicit totum, non ratione partium, sed ut est quid completum, et per modum ultimationis, et terminationis: semper autem ratio ultimi est indivisibilis, licet respiciat partes, sicut punctum respicit lineam. Existentia autem respiciendo totum etiam respicit partes mediate: et participative, quatenus inveniuntur in toto.

Y. Sed objicies quia non potest in-

telligi, quod existentia rei corporalis sit tota in toto, et tota in partibus, hoc nobis etiam in rebus spiritualibus difficillime intelligitur, quanto magis in existentia corporali, ergo oportet, quod vel dividatur penes partes, sicut ipsa natura corporea dividitur, vel sit solum in una parte, et non reliquis, et sic solum una existeret, et non reliquæ, præterquam quod non est major ratio, quod sit in illa parte, quam in illa. Et in partibus heterogeneis, cum quælibet pars habeat distinctum esse, non possunt unica existentia informari. Confirmatur, quia revera existentia corporis est aliquid corporale, si quidem ex ipsa essentia cujus est accipit determinationem, et limitationem, ergo debet dividi ad divisionem ejus, neque non existentia est magis indivisibilis, quam forma, seu natura a qua provenit, nam cum esse sit actus entis, ut est ens, ubi sunt plures entitates actu extra causas, oportet quod sint plures existentiae, sunt autem plures partes actu in ipso composito, ergo oportet dari plures existentias. Et ne dicatur existentiam convenire substantiae antecedenter ad quantitatem, et sic esse indivisibilem. Contra hoc instatur, tum quia substantia ipsa adveniente quantitate distinguitur in partes, ergo etiam existentia: tum quia loqui possumus de ipsa existentia quantitatis, cui per se convenit habere partes: ergo existentia illi conveniens partes habebit.

VI. Confirmatur secundo, quia simplicior est existentia Angeli, quam lapidis, eo quod substantia Angeli simplicior est, quam substantia lapidis, ergo similiter existentia lapidis erit magis composita, quam existentia Angeli, non ergo repugnat existentiae compositio, sed sicut existentia limitatur, et deprimatur per essentiam, cujus est existentia, ita reddetur existentia com-

posita, et in partes divisa sicut ipsa essentia corporea, in hoc enim nulla apparet impossibilitas, aut repugnancia, imo ex ipsa natura existentiae deducitur, quia propter sui transcendentiam in omni gradu, et in omni parte imbibitur. Ergo non repugnat, quod existentia partis, seu gradus infimi componat cum existentia partis, seu gradus perfectioris, sicut ipsa entitas partis, et gradus cum entitate alterius gradus, et partis.

VII. Respondetur hæc omnia probare, quod existentia est divisibilis participative, et virtualiter, non autem formaliter, id est, ex vi suæ informationis, seu modi informandi, quod etiam dici potest, quod sit divisibilis et quanta per accidens, sic enim vocat illam D. Thomas dum de cæl. lect. vi, inquit: « Quod esse rei potest dici per accidens quantum ratione subjecti, quod habet determinatam quantitatem. » Cum ergo existentia non informet modo divisibili ipsam entitatem totius, quia non ex æquo respicit totum, et partes, sed solum partes, ut habent modum totalitatis, et unitatis terminatæ in toto, ideo non dicitur existentia quanta ex vi suæ informationis quasi primo informet partes, et ex partibus totum, sed quia informando totum sub ipsa ratione indivisibili totalitatis etiam informat partes, ut ibi contentas. Quando ergo dicitur, quod existentia non est tota in toto, et tota in partibus, sed tota in toto, et pars in partibus, respondeo quod est tota in toto, et inadæquate, seu participative in partibus, non divisive, quia cum dicat rationem ultimi est indivisibilis. Unde eo modo est in partibus, quo punctum in partibus lineæ, in quibus non formaliter extenditur, sed virtualiter, illas omnes terminando: et filiatio convenit toti animali generato, non tamen quælibet pars illius

dicitur filia, quia illud accidens proprie convenit ipsi toti, partibus autem non partialiter convenit, sed prout in toto sunt unum. Forma ergo terminans non quantificatur formaliter a subjecto, bene tamen forma informans modo partiali, et divisibili ipsius subjecti.

VIII. Quod si instes: Nam esse dicitur quantum per accidens, ut dicit loco citato Div. Thomas, punctum autem non dicitur quantum per accidens, quia terminat partes lineæ, ergo non sic se habet existentia, sicut punctum, sed sicut albedo, quæ per accidens est extensa, et quanta, et ita non repugnat dari partiales existentias sicut partiales albedines, respondetur quod esse dicitur quantum per accidens, quantum ad denominationem, quia omnes partes denominantur existere, sicut omnes partes denominantur albæ, et in hoc non tenet exemplum puncto terminante, non enim singulas partes denominat secundum se terminatas, et divisas. Sed tenet exemplum quoad hoc, quod existentia non extenditur ad extensionem partium sicut albedo, licet omnes actu denominet ponatque extra causas, eo quod sequitur productionem in facto esse, et hæc directe attingit totum, ibi enim sistit perficiturque productio, existentia vero non dicit quæcumque productionem, sed in facto esse, atque adeo perfectam, et sistentem, quod non cuilibet parti convenit, sed toti, licet in illo actu denominet omnes partes positas extra causas. Quare in his, quæ per modum termini se habent, non est assignare totum in toto, et partem in parte, sed totum est terminatum per modum ultimi, et hoc ultimum dicitur indivisibile, licet partes inadæquate, et virtualiter, seu mediate tangat, et denominet.

IX. Ad id, quod dicitur, an exis-

tentia sit in una parte tantum, vel in omnibus, dicimus quod in omnibus, prout sunt unum totum, et per modum terminatæ totalitatis, non autem in una solum parte, nec tamen dividitur per partes, sed terminative se habendo ad totum, omnes actu ponit, et denominat extra causas. Quod vero dicitur de partibus heterogeneis facile respondetur, quod illa non habent diversam existentiam, sed unam, et eandem diverso modo communicatam, quia partes ipsæ diversæ qualitatis, et conditionis sunt, et sicut non repugnat eadem anima informari omnes illas partes propter eminentiam talis formæ, ita nec eadem existentia actuari proveniente ab eadem forma cum simili perfectione, et eminentia.

X. Ad primam confirmationem respondetur existentiam corporis, et quantitatis esse similiter corpoream, sed per modum formæ terminantis, et consequenter indivisibilitatem habentis, sicut omnis terminus indivisibilis est licet terminet partes, et ita sicut punctum, vel linea terminat partes quantitatis, et afficit illas, nec tamen formaliter dividitur per illas, ita non repugnat, quod existentia licet corporea sit, aut quantitativa actuet omnes partes terminando, non autem in illas formaliter se dividendo, quia per modum termini se habet in genere actualitatis, licet corporea sit, sicut linea, et punctum. Et quando dicitur, quod existentia est actus entis, ut ens est, distinguo; ut ens est perfectum, et per modum totius positum extra causas, concedo; ut imperfectum est, et incompletum, et per modum partis tendit ad totum, nego; parti enim non convenit existentia, nisi mediate, prout in toto, et participative ab illo, immediate autem est actus totius, et sic omne ens est capax existentiae, sed non ex æquo, et eodem modo, sed quædam

immediate, et formaliter, quædam mediate, et participative, ut statim amplius explicabitur.

XI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod existentia Angeli est magis simpliciter, quam corporis, quia abstractior est a materia, et sic non extenditur ad partes, neque immediate, neque mediate, eo quod non ipsum totum, quod in Angelo actuatur per existentiam non constat ex partibus, et sic neque existentia se extendit ad illas. Et cum dicitur, quod non est repugnantia, ut existentia dividatur in partes, sicut limitatur, et determinatur per essentiam, cuius est existentia, respondetur id repugnare, quia existentia est actus terminans, ut ultima actualitas rei productæ, de ratione autem termini, quia dicitur rationem ultimi est, quod non dividatur, sed indivisibili modo terminet. Ad id quod dicitur existentiam transcendere per omnes gradus, et si dum actuatur gradum infimum manere in potentia ad existentiam gradus superioris, respondetur existentiam nunquam habere potentialitatem in ratione existentiae ad ulteriorem perfectionem, vel esse. Unde dicit D. Thomas, q. vii de potent. art. ii ad ix: « Quod non est intelligendum, quod ei, quod dico esse, aliquid addatur, quod sit eo formaliter ipsum determinans, sicut actus potentiam. » Et i p. q. iv, art. i ad iii, dicit: « Quod esse est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum, unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens. » Ratio autem est, quia existentia est id quo aliquid redditur in facto esse, et ultimo extra causas, si autem daretur existentia, quæ adhuc esset in potentia ad aliam existentiam, erit in potentia ad essendum extra causas, et sic nondum erit existens, neque in facto esse. Existentia ergo

actuatur omnes gradus rei, in qua est, sed per modum termini ultimi, et ita si solum detur gradus infimus, et imperfectus, illi solum accommodabitur existentia, et modo indivisibili actuabit illum. Si autem sint plures gradus perfectiores, immediate, et formaliter actuabit illud totum, quod ex istis gradibus constituitur terminando modo indivisibili, seu per modum ultimi ipsum, gradus vero inferiores, sicut et ipsas partes mediate, et participative, prout ad illud totum pertinent, et in illo inveniuntur.

EXISTENTIA EST ACTUS IMMEDIATUS SUPPOSITI.

XII. Sensus est, quod suppositum se habet, ut principium quod receptivum existentiae, et natura ut principium quo, sed cum hac differentia ad formas accidentales, quod licet suppositum sit etiam principium quod earum sustentativum, et receptivum, tamen etiam ipsa natura est medium recipiendi accidentia, ita quod mediante natura conveniunt supposito, et denominant illud, neque est necesse, quod immutent ipsum suppositum inhærendo, sed solum naturam, ut manifeste patet in accidentibus convenientibus Christo Domino, quæ non inhærent in supposito, neque immutant illud, sed mediante humanitate illud denominant. At vero existentia non mediante natura convenit supposito, sed immediate respicit suppositum, ut principium quod, et ut rationem recipiendi, quia esse productum terminative, et in facto esse solum convenit ipsi toti, seu supposito, et mediante toto convenit naturæ. Natura autem dicitur principium quo existentiae quantum ad ejus specificationem, et determinationem, quia videlicet quod

existentia aliqua sit talis, vel talis speciei v. g. humana, vel angelica, vel alterius rationis, sumitur ex natura, cuius est existentia, qua ratione dicit D. Thomas, i p. q. l, art. v, quod esse convenit formæ per se sicut rotunditas circulo, quod intelligitur, vel de existentia, ut specificata, et limitata ad talem naturam v. g. existentia, ut humana, vel angelica, etc. sic enim ratione formæ id habet, vel intelligitur, quod esse sequitur formam non absolute, sed ut subjectam productioni, et in se subsistenti, vel inhærenti, sic enim formæ, ut productæ per se convenit, ut explicat Cajetanus, iii p. qu. xvii, art. ii ad viii. Videantur etiam, quæ diximus in lib. de anima, quæst. ix, art. i.

XIII. Quod ergo existentia sit actus proprie correspondens supposito est expressum a D. Thoma, iii p. q. xvii, art. ii et in iii ad Annibaldum, dist. vi, quæstione unica, art. ii et quod l. ix, art. iii, ut jam supra ponderavimus art. ii, ibique adduximus rationem ad id probandum, præcipueque id sumitur ex ipsa productione, seu generatione rerum. Etenim existentia est id quo aliquid dicitur productum in facto esse, ergo ibi erit unica existentia ubi fuerit unica productio in facto esse terminata, sed respectu unius suppositi, seu totius datur unica generatio, non composita ex partialibus actionibus; ergo etiam datur unica existentia non composita ex partialibus existentibus. Consequentia patet, quia existentia est ipsum factum esse generationis: ergo si generatio est una, unicum factum esse illi correspondet. Minor vero probatur, quia generatio non cessat, nec perficitur in facto esse, quousque perficiat ipsum totum, nec sistit in parte, ut pars est, quia non sistit in suo termino adæquato, pars autem, ut pars non est adæquatus terminus generationis. Si autem

sistit in parte, et non perficit ipsum totum, hoc ipso generatio redditur imperfecta, et manca, et hoc ipso, quod sistit generatio in aliqua parte, illa pars remanet separata ab aliis, et fit totum, licet imperfectum; ergo ubicumque generatio sistit, in aliquo toto, seu supposito sistit, sine imperfecto; ergo ipsum factum esse non invenitur nisi in toto, seu supposito; ergo existentia est propria suppositi, seu totius, quia existentia est poni in facto esse, et perfecte extra causas, non in fieri, et tendentia.

XIV. Dices: Humanitas Christi vere, et formaliter est producta, et esse productam non habet ab existentia Verbi, quia existentia Verbi non potest formaliter constituere esse creatum, ergo nec productum extra causas, ergo in humanitate Christi datur effectus formalis existentiae, qui non sequitur suppositum, seu naturam scilicet existentiae creatae. Respondetur humanitatem proprie non produci ut quod, sed ut quo, unde non redditur producta in facto esse per existentiam propriam, quia productio non fuit terminata, et completa in humanitate, sed ipsa assumptione suppleta et in existendo perfecta est. Dicitur ergo humanitas producta ut quo propter dependentiam, quam habet ab actione et conservatione Dei, quae licet non dederit illi existentiam in facto esse, tamen per aliam actionem, scilicet assumptivam communicata est Persona, et existentia Verbi, et sicut habere Personam sic communicatam pendet ab actione Dei, ita et habere existentiam sic communicatam; et hæc existentia sic communicata per actionem Dei reddit naturam extra causas, et dependentem non per existentiam creatam, sed per increatam, sibi in tempore communicatam, assumptio enim ad subsistentiam divinam impedivit

actionem creativam dare terminum completum existentiae, et supplevit divinam pro ea, ut latius dicitur in materia de incarnatione.

XV. Et quia esse convenit naturae, nisi ut principio quo, non ut habenti suum esse, et ut principio quod, advertenda est differentia inter prædicata personalia v. g. existentia, subsistentia, filiatio, et similia, et alia prædicata accidentalialia, quae ratione naturae dicuntur convenire, quod licet omnia conveniant supposito tamquam principio quod, et ut subjecto denominationis, et inhæssionis, tamen in quibusdam ipsa natura est ratio conveniendi, vel medium recipiendi, in aliis vero ratio conveniendi, et recipiendi est suppositum, licet natura sit principium quo quantum ad specificationem vel limitationem talis prædicati. Dicitur natura esse ratio conveniendi, vel recipiendi aliquod prædicatum, quando vel in ipsa natura fundatur connexio cum tali prædicato, vel non potest convenire, nisi mediante aliquo pertinente ad naturam, sicut operatio non potest convenire, nisi media potentia, et hæc non nisi media natura, quae est radix potentiae, et primum principium motus, et similiter color non potest convenire nisi media superficie, et hæc non nisi ratione corporeitatis. Dicitur vero suppositum esse ratio, seu medium conveniendi quando totum fundamentum conveniendi sumitur, non ex ipsa natura, sed ex causa extrinseca attingente directe suppositum, et sic se habet existentia, et filiatio, quia existentia, ut sæpe dictum est, est ipsa productio in facto esse, et positio extra causas, et filiatio est revelatio geniti ad patrem, seu propagati ad propagantem. Suppositum autem est id quod primo, et per se producit, et sic existentia, quae constituit productum in facto esse, primo, et per se convenit supposito,

partes vero naturae dicuntur coexistere, sed non simpliciter existere, nisi ratione totius. Et ratio est, quia existentia est illa, quae simpliciter ponit rem extra causas, nulla autem pars, ut pars ponitur absolute extra causas, sed dependenter ab alia comparte, et a toto, nam si independenter poneretur extra causas, hoc ipso esset totum, et non pars, quamdiu enim dependet ab alio ulteriori, ut ponatur extra causas simpliciter non habet in se existentiam, quia non habet simpliciter poni extra causas, si quidem ut ponatur ab aliquo ulteriori dependet. Ut ergo perfecte, et simpliciter ponatur extra causas, et sit existens requiritur reddi independens ab ulteriori, hoc autem proprie est totum, et hypostasis, quia in hoc opponitur parti, quia non est communicabile ulteriori termino, pars autem communicabilis est: ergo id quod simpliciter redditur existens est totum; reliqua vero dicuntur coexistentia, etiam accidentia ipsa, quae sustentantur in supposito quasi ab ipso habentia unde ulterius non dependeant in existendo, et in positione extra causas.

XVI. Quare existentia simpliciter prout distinguitur a coexistentia est actus suppositi, seu totius, participative autem convenit partibus, quatenus reddit illas extra causas coexistendo toti. Quod contrario modo intelligunt auctores oppositi, scilicet quod partes, et quodcumque ens, ut distinguitur ab alio per suamet entitatem, qua est ens reale est etiam extra nihil, et existens, totum vero resultat ex partibus, et sic resultat etiam ex illis existentia totalis. Nos vero dicimus, quod parti, ut pars est non convenit formaliter existere, sed participative, id est, coexistere, eo quod parti, ut parti repugnat fieri, vel existere, nisi ut dependens ab alia ulteriori, non ut

terminans in se, et sistens ipsum factum esse, et ipsum poni extra causas, ergo ante illud a quo tamquam ab ulteriori dependet non existit in se sed solum coexistit in altero, vel tendit ad existendum in illo, illud autem quia non dependet ab ulteriori termino, ut ponatur in esse, dicitur simpliciter existere, et sic sola existentia ejus ponit simpliciter extra causas, quia quamdiu aliquid pendet ab alio ut sit, sine illo nondum est, quando vero amplius non requirit, tunc simpliciter est. Denique, existentia est, quae ultimo, et in facto esse ponit extra causas, alioquin non dicitur existere si aliquid deest, ut extra illas sit, ergo non potest esse composita ex aliis existentibus. Patet consequentia, nam compositum ut tale includit plura, ex quibus componitur, terminus autem ultimus non potest componi ex pluribus, sed esse simplex, et indivisibilis, quia ultimum est illud ultra quod nihil est. Si autem includeret plura, uno eorum accepto aliquid ultra restat, ergo ut non restet aliquid ultra non debet plura habere, sed unicum esse, et ultimum, et sic non debet esse compositum, in quantum ultimum est. Existentia ergo hoc ipso quod est actus ultimus, id est, ponens ultimate, et in facto esse extra causas, composita non est. Viedantur plura, qu. vii physico. art. v. Ubi etiam diximus quomodo anima rationalis non obstante quod est pars, habeat existentiam, nec tamen illa existentia componit cum existentia materiae aliquam tertiam, sed eadem existentia formae communicatur materiae, et composito, ut docet D. Thomas 1-2, qu. iv, art. v ad ii. Est enim hoc speciale in anima rationali, quod ita sit pars componens, quod etiam sit in se forma subsistens, seu per se existens. Unde non solum se ipsam communicat materiae, ut formam,